

li ratione patet angulos FEO, OEC, duobus rectis æquales esse, ac proinde duæ rectæ sese invicem secantes efficiunt angulos quatuor rectis æquales. Jam centro E describatur circulus, mensura angulorum quatuor erit integra circuli circumferentia, hoc est gradus 360. Igitur angulus rectus erit quarta pars circumferentiæ nempe 90.

COR. II. Rectæ GH, RO in unam lineam coalescere non possunt, sed efficiunt angulos GER, HEO, qui dicuntur *ad verticem oppositi*. Illos autem angulos æquales esse manifestum est; cum sit dimidium peripheriæ RFO æquale dimidio peripheriæ GEH; sublata autem communi parte GO, erunt arcus reliqui GR, HO æquales inter se.

COR. III. Recta GE ad alteram CF perpendicularis est, si puncta duo quælibet, G, E, a punctis duobus quibuslibet, ut C, F, æqualiter distent, hoc est, si $GC = GF$, & $CE = EF$. Etenim puncta duo E, G, non magis inclinant versus C, quam rursus F, ac proinde cum duo puncta lineæ rectæ positionem determinant (ex def.) æqualis est rectæ totius GE, hinc & inde ad rectam CF, inclinatio, ideoque ob angulos utrinque æquales, recta GE, perpendicularis ad CF. Patet autem puncta C, F, sumi posse pro arbitrio inter CE, & EF.

COR. IV. Ex punto quolibet E in recta CF dato, duci potest ad eandem rectam perpendicularis HE. Etenim centro E, & dato quolibet æquali intervallo Ec, Ef, describantur arcus circuli, sese invicem

se-